In Honorem
Ecclesiæ Gallo-londinensis
Sub auspiciis gratiosissimis
Serenissimi Potentissimique Monarchæ
CAROLI II:
Stabilitæ
In sacello SABAUDIENSI.

Carmen Panegyricum
Per *Ph. Forrestum* M. D. *Burgundum*
elucubratum.



Londini, MDCLXVI.

In Honorem

Ecclesiæ Gallo-londinensis

Sub auspiciis gratiosissimis

Serenissimi Potentissimique Monarchæ

CAROLI II:

Stabilitæ

In sacello SABAUDIENSI.

Carmen Panegyricum

Per *Ph. Forrestum* M. D. *Burgundum*

elucubratum.



Londini, MDCLXVI.

Nobilissimo, Generosissimoque Heroi
Domino

Hugh de Colerane,

Omnimodis Virtutum generibus instru-
ctissimo,

Nec non Literarum Fautori valdè Be-
nefico, &c.

In Honorem *ECCLESIÆ GALLICANÆ SABAUDIÆ* Stabilitæ ſub auſpiciis *Invictiſſimi & ſemper Auguſti*

CAROLI SECUNDI

Magnæ Britanniæ Regis, & Fidei propagatæ Defenſoris.

QUIS mihi *Franciaci* pandet Sacraria *Pindi*,
Aut *Apennino* rapiet de vertice ramos?
Quiſve *Pyrenæi* reſerabit culmina collis,
Aut, Fontes, *Nemauſe* tuos? ut Apolline plenus
Ipſe, Sacerdotis divino nomine, condam
Lombardo, Delubra meo; cumulemque, perennè
Gratus, odorifero laudum libamina Mundo.
Ecce! Novem properæ veniunt ad vota Sorores,
Unde repentinus *vates*, mea munia linquo
Nota, *Machaoniis* excuſſis pectore curis;
Remigioque Tuæ Famæ *Lombarde*, Poeta
Tollor, & *Andræum* ſpirant præcordia *Phœbum*.

Fallor ? an incipiunt ſensìm, Viridaria, Saltus,
Et Nemora alta jugis cæcos aperire receſſus
Forreſtum complexa ſuum, quo vate, vigentes
Sylvæ *Hederas*,& Serta dabūt,quibus aurea cingāt
Tempora *Lombardi*,Fragrumq; in ſæcula Nomen.
Anglia blanda meis gratatrix annuat auſis,
Et Nova frondiferas *Forreſtria* proferat Ornos,
Unde Pyras *Carolo Auguſto*, *Fratrique* **Jacobo*,
**Gilbertoque* Patri, **Morleyo* &, rite colendis
Durelli Dominis, *Lombardi*, & rite Patronis,
Et **Northantonio*, **Sunderlandoque*, Dynaſtis)
Ædificem, & vaſto manifeſtem Nomina Mundo.
Pectora cum portis diffuſa *Britannia* pandat;
Priſcaque Saxonidum Tu *Southantonia* Regum
Aula diù, lætere, Tua & *Wintonia* tecum;
Præſulis eximii, quà, lata *Diœceſis*, agros
Proſpicit innumeros; Quo Præſule,Terra,priorem
Non vitæ pietate tulit; nec fortè futura
Poſteritas viſura parem: Cui corde ſub uno
Tot Dotes fecere favos, ubi neſcia fraudis
Simpli-

Simplicitas, Candorque placens, & Gratia Fandi
Cum miti Gravitate coit, conjunctaque magno
Pectore, munificæ par Indulgentia Dextræ.
O Præsul, Populiq; Parens! Tibi gratulor Heros,
Morleyadum qui grande genus, Meritisq; Penates
Auctiùs illustras veteres. Tibi gratulor inquam,
Quod *Durellus* amor *Britonum*, *Gallisq*; voluptas
Sub vestrâ est Ditione satus; quà *Jersia* sedem
Ostendit *Cart'rete* Tuam. Tu Magne **Georgi*
Carterete, decus Patriæ, Patrisque *Philippi*
Militis, expressum Specimen, quoq; Nobilis Icon;
Excipe votivum, placideque amplectere Vatem
Desperabundum tantas attingere laudes.
Nempe ego dum vestrum Nomen sublime, *Georgi*,
Et *Patris* Meditor, primis confundor in ausis;
Officio stat dextra stupens, calamusque fatiscit,
Concolor & vacuæ pallens facundia chartæ.
O Pater, & *Fili! CAROLORVM* fida *Duorum*
Sydera, & in mediis fælicia fulcra ruinis!
Quum trux impietas, & cruda rebellio *Reges*

 De-

Detrusit solio *Geminos*, *Primoque* Securi
Percusso *Carolo*; nec quicquid in Orbe, *Secundo*
Permissum Telluris erat, quâ fessa levaret
Tempora, vel tutos poterit componere nidos:
Jersia præ cunctis fortunatissima Regnis,
Extorrem suscepit, amans, *Te*; *Patre Tuoque*
Solivagis, patulas, *Sociis* præbentibus, ædes.
O miræ Pietatis amor! Benefactaque seri
Digna recordari fidis Annalibus ævi.
Nec satis est gaudere semel. Tibi *splendide Præsul*
(Qui decor es *Mitræ*, nec non **Periscelidis* idem)
Gratulor ipse iterum, nomenq; ad nubila pandam,
Quod meus *Andræus*, Te confirmante, *Minister*
Prodiit in Sacris; ut cum Pastore vèrendo
Durello par Pastor amans, audiret uterque
Lumen Evangelii, & Divini Fœderis ambo
Præcones stabiles. Concordi lege ligati
Salvete ô Domini! quibus alma **Sabaudia* Rostrũ
Præbuit, Ingenio, quà, præstantissimus, æquo
Moribus, Hospitio par **Killigreuius* amplo
Præsidet

Præſidet; occiduis nomen memorabile terris.
Heìc ſimùl Ætherei vivacia ſemina verbi
Spargitis indigenis *Gallis*, pariterque *Britannis*,
Qui vos Legatos veluti de Sydere miſſos
Excepêre palàm, & toties ſtupuêre loquentes,
Et promulgantes Magni mandata *Tonantis*. (eſt
Nec mediocre decus tibi tū *Lombarde* putandū
Eveniſſe, *Comes* quum Nobilis Ille loquutum
Audiit * *Albanus*, votiſque invaſit amicis
Concilii Satrapas, ut heìc, *Lombarde*, maneres
Paſtor, & officio *Durello* fixus eodem,
Juncta Miniſterii peragatis munia *Galli*.
Sic Comes *Albanus*, ſic *Sydera ſumma* volebant,
Vos ut *Apoſtolici* retinentes nomina *Cœtus*,
Alter *Johannes*, alterque *Andræus*, uterque
Paſtor, *Apoſtolicos* deportaretis honores.
Diſcite jam *Britones* quantùm fælicia vobis
Sydera fulſerunt, quæ talem fortè dederunt
Paſtorem, qualem non ſæcula priſca priorem,
Nec cernent ventura parem; Cognoſcite vobis
Grande

Grãde Beneficiũ,& ſit quis, quoq; quãtus habẽdus
Diſcite, *Lombardum* mediiſque admittite fibris.
Ille eſt , præ cunctis, quem præſtantiſſima Terris
Gallia nutribat, primæuo & lacte fovebat,
Exultanſque ſuo gens *Nemauſenſis* Alumno.
Jactitet *Arpinum* , Binos ſe fortè tuliſſe
Terrarum ingentes Dominos ; & *Mantua* Mater
Virgilium peperiſſe ſuum. Diſcorditèr urbes
Contendant ſeptem, dubièque querantur, *Homero*
Quis cunas donabat ager. Prædives Honorum ,
Et cuſtoditrix cumulatæ *Gallia* gazæ
Jactitet æternùm , & potiori lege triumphet
Borbonios peperiſſe Duces, ſummoſque Monarchas
Borbonidum de ſtirpe ſatos. Sua *Gallia* jactet
Condæos, *Crequeios*, *Richeleios*, atque *Turenum*
Magnanimum , ſtrati metuendum fulmen *Iberi.*
Illa Philoſophiæ Dominos oſtentet , & unum
Carteſium gemini reſerantem Scrinia Mundi.
Gallia Comminios jactet, Dominoſque potentes
Hiſtoriæ , & magnum ſuperantem fata *Thuanum.*
Illa

Illa *Macbaoniis* inſtructos clariùs herbis
Jactet honoratos Medicos, præque omnibus unum
Summum *Fernelium*, famâque ingente *Duretum*,
Et *Riolanos* Patrem, Gnatumque ſtupendos;
Nec non *Hollerium* doctum, Gallique *Galenum*
Syderis immenſum celebrandum in ſæcla *Patinum*,
Courteſiumque ſuum, & noſtro de ſtemmate *Serrem*,
Deque meo propiùs *Guidæum* ſanguine ductum.
Illa Theologiæ Dominos, aciemque minacem
Jactet, & armatas, ſervatâ pace, phalanges;
Fulcra Reformatæ fidei; contraque *Gigantes*
Romanos, *clypeata cobors.* Stant fronte *Molyni*
Et **Cauſaboni* gemini, Duxque *Amyraldus*,
Blondæoque Comes magnus *Dallæus*, & Ille
Gaccbæo, quorum, Eloquio cluit alter, honoris
Alter ab hiſtoriis nomen ſublime meretur
Tu quoque clare Senex noſtris celebrabere chartis
Heralde Eloquio & Calamo fæcundus, & Ille
Magnus *Alexander* ſublimi Nomine **Morus*,
Inque Reformati natus Miracula Mundi

Quorum inter numerum prægrandi Teſte *Tureno*,
Lombardus memorandus erit, ſive Ille diſertos
Exſolvit vatum numeros, ſive Ille Precando,
Mulceat attentos animos, itidemque Docendo
Peccati adversùs furias, hominesque feroces
Fulminet, errantem vitâque illuminet Orbem.

Et quæ tanta fuit pietas mitiſſime Paſtor
Nemauſum liquiſſe Tuum? Quis caſus amicus,
Aut potiùs meditatus amor, Te allexit auitis
Sedibus, invitum Regum ſplendere per aulas,
Romanæque gregis fulgentia dona, ſiuiſtrâ
Accepiſſe manu, dextraque avertere fronte
Quicquid *Evangelicum* praxi impugnaret honorē.
Sublimis Pietas Supremo proxima Cœlo!
Spernere Delicias Patriæ, porrectaque dudum
Dona Dynaſtarum; Fideique Oracula primæ
Conſervare ſinu, totiès licèt Illa petita
Invidiæ jaculis, cæcoque afflata veneno.
O quali *Romana cohors* deferbuit æſtu!
Augurium quantum concepit mente futurum

De

De ſtudiis, ***Lombarde*,** Tuis, de Teque, loquutum
Te toties mirata Scholis, ubi nobile gliſcit
Nemauſum, & docto populoſa *Lutetia* cœtu?
Tunc etenim, ***Lombarde*** dabas manifeſta ***Senectæ***
Symbola, penè *Puer*, mentitus *Neſtora*, ephœbus,
Et crudos canis prævertens Dotibus annos.
Mox gryphis longè *Logicis*, nucibuſque relictis
Ipſe redorditis, majora volumina, telis,
Moliris, *Primas* retegens ab origine *Cauſas*.
Ingenium mirata tuum eſt *Academica Pubes*
Illa virum ſelecta cohors; arcana ſtupendæ
Sive Philoſophiæ reſeras, doctiſve loquelis
Diſcutis occultas, aſtris fælicibus, Artes.
Tu legis, & pulchram recolis, *Lombarde*, *Poëſim*,
Rhetoris & placidas animo complecteris artes;
Unde carens vitio Sermonis regula ſurgit,
Diffluit & cultæ fælix facundia linguæ.
Hinc *diſſertandi* ſubtile paratur acumen,
Naſcitur & rerum ſeries, & forma locorum.
Adde tot humanæ præcepta ſalubria vitæ,

Dogmata, diversis pugnantibus, edita, Sectis.
Junge etiam semper *Patientis*, semper *Agentis*
Materiæ fluxus, & Fata regentia Mundum.
In Te conveniunt, quicquid, *Lombarde*, vetusto
Tradidit *Ægypto Babylon*, *Ægyptus Athenis*.
Hos tu cum reliquis gaudes, *Lombarde*, labores
Nocturnâ versare manu, versare diurnâ,
Sedulus, & prisci Monumenta recolligis ævi.
Non aliter mellis stipatrix *Dædala turba*
Florentem primis subiit cum floribus hortum,
Omnia purpurei populatur germina veris;
Nunc violas, nunc Illa thymum, nunc lene papaver
Prælibat, mox serta croci redolentia parvo
Crure legit, donec serò jam vespere notas
Pulsat onusta fores, & *Cerea Tecta* Salutat.
Hoc erat (attonitum fama grassante per Orbem)
Quod Pater illustris (genio suadente) *Turenus*
Lombardum eligeret præ tot Præconibus unum
Ire per extraneum Populum, verbique potentis
Voce, Reformandas, vitiis avertere, Gentes.

Hæc

Hæc tua blanda fuit resolutio, *Magne Turene*,
Et generosus amor, Pietas, & nobilis, ergà
Lombardum(Dux Celse)tuum. Ter Nobilis *Heros!*
O mihi præ primis Patriæ celebrande Dynastis,
Gallorum Columen, *Ludovici* Gloria Sceptri!
Quæ Regio in terris Vestri non plena lacerti
Quæsitam non sensit opem? dum judice Sole,
Testibus aut Stellis, *Gallus* fæliciter alas
Latiùs explicuit, Duce Te Divine *Turene*,
Noctibus adversos, vel aperta luce lacessans.
I nunc! & veterum miratrix Fama laborum,
Romulidum mirere fidem, & præclara *Pelasgi*
Nomina Sceptriferi, & raptos Orientis honores.
Non *Atylæ* fortuna prior; non *Gothica* laurus;
Teutonidumve decus. Non illud *Cæsaris* ingens
Nomen, adorando concedat rite *Tureno*;
Qui fama exsuperat Satrapas, & solus in omnes
Heroas perstare potest, lux Temporis hujus,
Militiæque Parens, qui æternum vivet in ævum,
Nullaque palmiferos delebunt Sæcla triumphos.

Quis non ad Magni nomen prægrande *Tureni*
Longiùs obſtupuit! quæ Terra, vel angulus Orbis
Neſcius eſt veſtri? *Boreas* te ſenſit, & *Auſter*;
Te *Britones*, *Scotique* colunt; * *Douglesius* ingens
Et teſtis * *Murræus* erit. Te ſenſit *Iberus*
Terribilem, *Mitemque* ſimul. Te ſtellifer *Atlas*,
Eoſque Tuo turbatur Nomine *Ganges*:
Nec vetus Ægides majoribus audiat actis
Clarior, Ille licet *Lapithas*, & *Cressia* totùm
Mactarit monſtra, & *Stygium* concuſſerit *Orbem*.
Nec *Te*, prætercam *Patrui* tu cura *Tureni*
Marchio * *Blancforti*, cui *Fortia Facta*, *venuſto*
Conveniunt ritè *Titulo*, dum pectus adinſtar
Rupis inacceſſæ, nullo penetrabile telo
Te Fortem docet eſſe *Ducem*; nec nomen inane
Lactea Liligeri *Ludovicus* Gloria Sceptri
Impoſuit meritis, jam tot ſplendentibus impar.
O quantùm à Patriâ, Tu Præſtantiſſime veſtrâ
Marchio diligeris? Quantùm coluere *Britanni*
Te noſtri, quanto & precio, Dux magne, *Britanni*
Majores

Majores coluere Tuos? diſcrimine belli
Cujus opem ſensére parem, nil tela timentes,
Fidaque pro *Briticis* opponere pectora Muris.
Nec veſter minor audit amor, Celeberrime Ductor
Marchio, Belligerans pro Magno Rege *Britanno*,
Cumq; *Duce Eboraco* per aperta pericula tendens,
Publica privatæ præponis commoda vitæ.
O *Dux Eboraci!* Indigenæ Tibi quanta *Britanni*
Munera, quanta Tibi perſolvet *Natio Galla*?
Neſcio quid primùm mirer, quòd turbine Regni,
Æquora, & indomitos fluctus, tumidaſve procellas
Straveris, & placidis curſum direxeris *Anglis*.
O quoties *Gallo* ſteteras *Tyrinthius* Orbi!
Quum tot Centauri, debellatique Dracones,
Totq; renaſcentes alternis cladibus hydræ
Deletæ, paribus, ſub *Te*, cecidere triumphis.
O quoties tumidas memorando Marte Phalanges
Circumagens, nudata ſuis vaga rura Colonis,
Et circumſeſſos viduaſti Milite montes,
Celſa ſupinatis ſternens munimina clauſtris!

O

O utinam mihi ſcribenti par fulmen adeſſet
Quod *Tibi* pugnanti fuerat, quum ſanguine ſparſus
Cæſorum, & diri laudando in pulvere campi
Obrutus, attonitos longè bacchatus in agros,
Fulguris in morem, rapidis quod nubila flammis
Terruit, aut celſam Rhodopæio in vertice Pinum,
Aut *Athon* Eoas aſſuetum ferre carinas
Caucaſeaſve nives, Pangæaq; culmina rumpit:
Talis in oppoſitos *Dux Belliger* irruit hoſtes
Victor, ubique vagæ ſternens glomeramina turbæ.
Sed non *Anglorum, Dux Admyralde*, trophæis
Stat Tellus ſatis ampla Tuis: comes ergo laborum
Unda ruit veſtri toties tutela *Tridentis*,
Et *Ducis Eboraci* reſonans per Cœrula famam.
Tunc etenim Tu *Dux aderas*, quum Turba *Britāna*
Intremuit fibris, & Publica Cauſa timendi
Excuſſit noſtros de longo rure Colonos:
Tum *Batavæ* crevere rates; & lignea moles
Textellicas oppreſſit aquas, medioque natabant
Cædua *Sylvarum*, & Nemorū incrementa; profūdo
Tunc

Tunc *Dux Eboracus* fælicibus obruit ausis,
Et profligata, & mutilata classe, *Britannis*
Ille reportabat Palmam, *Batavisque* pudorem.
Nec vos conticeam Comites, Qui jure *Jacobo*
Magnanimo, junxistis opem. Tu Celse * *Ruperte*
Cumbria quem propriè, majora sed acta per Orbem
Majorem monstrare Ducem: tu maxime *Princeps*
Germano Augusto Comes inseperabilis ibas,
Et Tecum Comes ille cluens **Sandwicbius* Heros
* *Lawsoniusque* potens Patriis jam redditus astris;
Famaque ab *Eboracì*, passo, *Ducis*, alite, **Penni*
Sublimis, super astra volans. Dignissime *Penne*
Cujus facta fidem superant, nostramque ruentem
Ludificant in cœpta manum; nisi forsitan alas
Victrices *Aquilæ*, Scripturo ingentia gesta,
Suppeditare velint. Sed dum tuus *optimus Hæres*
Insignes * *Gulielmus* adest, (famæq; Paternæ,
Fortunæque Comes, qui miris dotibus annos
Autevenit teneros, graditurq; in sæcla futura
Spes vestræ stabilita Domus, columenq; Penatũ)
Exprimat

Exprimat Ille **Tuos Actus**, nostrumq; senile
Eximat ingenium, tanti moliminis impar.
Sed quò me Vatem vestrum, trans *æquora* raptum
Transtulit error amans?pandentem carbasa passim
Et meritis nova-vela **Tuis**, Dignissime *Præco*
Andræe, haud uno Mundi, claudende, *Theatro?*
Tolle coronatas lætatrix *Gallia* cristas
Andræo plausura **Tuo**; nec totus honores
Arroget, à longo, cultus *Dyonisius*, ævo.
Nec tutelaris sic *Anglia* clara *Georgi*
Nomina jactet ovans; aut longiùs *Ittala* Pubes
Anthonium venerata suum. Quid *Iberia* fortis
Attollit fastus, *genio* devincta *Jacobo?*
Aut sic *Patricium* veneratur *Hibernia* Divum
Cumbria vel *Sancto* persolvit vota *Taveyo?*
Scotia præ Sociis stat præstantissima Nymphis
Nomine in *Andræo*. Bellatrix *Scotia*, Gente
* *Brüsiadum* valida, peperit quæ Nomine Claros
Et * *Montrossanos*, * *Monrosiosque* potentes,
* *Murræosque* pares, * *Lauderdalemque* Secundi
Delicias

Delicias *Caroli*; qui tot diſpendia *Primo*
Pro *Carolo*, perpeſſus etat. *Borealibus* Orbis
Gratulor *Herois Dominis*; vos Martia Pubes!
Adverſas tolerare vices aſſueta, gravemque
Andræi bene ferre *Crucem*. Vos Martia Pubes
Cujus geſta diu *Gallas* volitare per oras,
Et totum implerunt meritis præſtantibus Orbem;
Adſpicite *Andræum*, Patriiſque aſſiſtite votis.
Ille *Britannicas*, ut *Apoſtolus* alter in oras
Mittitur, æterni vos Servaturus *Jeſu*
Nomine; & in geminæ ſeſe venerabile Gentis
Depoſuit Pignus, nec parvi pondus amoris.
Audiat inſanæ furialis Turba *Genevæ*
Invidiæ liquefacta lue; Seròque Superbum
Sentiat errorem, tali viduata Miniſtro,
Cujus non *Tunicam* digna eſt ea *factio demens*
Vel *doctos* portaſſe libros. Diſpendia ſerò
Sentiat illa cohors hominum, (ſi ritè vocandi
Sint homines Illi) Qui tot de more Ferarum
Mutua vulnifico lacerantes viſcera morſu,

Pacem *Hierarchiæ* diſcordi Marte fugârunt.
Non ita *Calvinus* docuit; majorque Magiſtro
Calvino, qui *Doctor* erat, civilibus îras
Exercere odiis, pulſoſque ab ovilibus agnos
Cum *Paſtore* ſuo, crebris cruciare querelis.
Tu quoque ſed (ſerò) *Lugdune* fatebere *Civis*
(Non loquor inſignes, quorũ mens conſcia Recti
Conſtat, & incocto generoſum pectus honeſto)
Sed Te, quæ magni turbâſti vota Senatus
Seditioſa cohors; Tu mœſta fatebere tandem
Qualem Theſaurum, *Gemmamque* amiſeris, Illo
Poſthabito, *qualem*, nec *Emat* Tua Byrſa, vel emptã
Conſervet Mercator inops *Gadarena* propago!
Ite triumphales, Gemmis, ad pabula porcis
Sylveſtri pro glande, datis Viciſtis Amici
Magnanimi; ſociate choros; ventoſaq; Pubes
Cum lituis, inflata crepet: *Paſtorque* triumphet,
Egregias, Dux, inter oves; nec ab inde, remoto
Præluſtri Rivale, novam vereatur eclypſin;
Sed ſibi ſecurus, parvo Scintilulet aſtro;
Dum

Dum par *Lombardus Soli* circumvagus Orbem
Circinet, & magnos accendat luce *Britannos.*
O Paſtor dilecte *Deo! Chriſtoque* dicate!
Cujus paſcis Oves, & amæno fonte refectis
Dulcia *Cœliflue* diſponis pabula *Mannæ.*
Nec tua deſtituit magnæ miſeratio mentis
Palantes pecudes, vacuove reliquit Eremo,
Obvia Peſtiferis quum formidanda ſagittis
Graſſata eſt damnoſa Lues; & Millia tanta
Tam ſubitos ſubiere rogos, ut Templa ſepulchris
Conſtiterint anguſta ſuis, Terraque Creatis
Heu! Terra abnuerit, ſpatiumq; Noverca, negarit
Qua, nati, tegerentur humo. Tum Cura miſellas
Veſtra manebat oves, & amor relevabat Egenos
Corporeis, Animæq; cibis, ut paſtus utriſque
Cœtus abiret ovans; & Quos *Tua Concio* ſtratos
Erigeret, *Pietas* Hos circumfuſa foveret.
Quanta miniſterio de veſtro, Turba reducta
De vitiis, averſa ſuis! Dum more Chirurgi
Vulnera tu tractas, & acutum jungis acetum

Melle ſuperfuſo; confractaque corda ſiniſtro
Fulmine, mulcenti dextrâ, *Lombarde*, mederis.
Sic Tu *Mercurius*, cupidis *Cyllenius*, *Anglis*
Sydere delapſus, *virgâ* quaſi *corrigis* omnes,
Et *regis* affectus animi; rapidoque fluentis
Eloquii Torrente rapis. Cum cortice, Truncum
Tu totum, *Lombarde*, ſecas, divulſaque coſtis
Viſcera ſcrutaris, verbiquè potentior enſe
Tranſadagis, mediiſque aperis penetrale medullis.
Conſtitit attonitum vulgus; Proceresque rigabant
Fletibus ora piis, & tota *Sabaudia* lugens
Tecum viſa loqui, triſteſque iterâſſe querelas,
Quum decollati *Caroli*, celebranda quotànnis,
Juſta, parentabas, adeòque coloribus *Umbram*
Pinxiſti vivis; ut mox animata per omnes
Corporis articulos, ſolitam ſibi ſumere carnem,
Et rediviva ſuo viſa emigrare Sepulchro.
Barbara tum poſitis potuit miteſcere buccis
Impietas, confeſſa Scelus: potuitque furoris
Pænituiſſe ſui, ſimili ſuffuſa rubore

Quo

Quo flens irrubuit, *Regali rore*, securis·
Annua sic sacro celebratis *Funera* ritu;
Crebraque perficitis repetito *Sabbatha* cursu,
Tuque, Tuusq; Comes, Doctus *Durellus*, amico
Foedere concordes. Clare O *Durelle*, Potentum
Deliciæ Regum! Quo Te sub Sydere natum
Invidus, Invitusque loquar? *Durelle* duorum
Accola Regnorum, vicinis, proxime *Gallis*,
Quà breve *Neustriacas* interluit æquor arenas,
Armoricosque sinus. Ast *Southantonia* Natum
Te vocet; *Indigenam*, generosaq; *Jersia* jactet;
Jersia Caroleis moderatrix meta columnis.
Provida sic voluit Divina Potentia Coeli,
Ut Te divideres passim, Talentaque cordi
Credita, partires avido, cum fænore, mundo,
Nec Terra paterere tegi. Regna extera Dotes
Noverunt, Pater ample, Tuas, sensêre feraces,
Et steriles itidem campi successibus æquis,
Prodiga Te sacri spargentem semina verbi,
Et vepres, fusoque Rosas cum rore rigantem.

Nec

Nec vitam consumis iners, aut transigis unam
Ingratè sine luce diem. Quæ tempora rostro
Exigis, impendis studiis. Testabitur illud
Gratũ opus, ingeniũ sapiens, Geniumq; Magistri,
Vindice Quo, *Britonum* victrix Ecclesia stabit,
Divinos cujus * *Ritus* ab origine pandens,
Fusiùs audacem superasti viribus hostem
Anonymum, cui insulsa quidem nec nomine nota
Scripta, cavernosis damnari digna cloacis.
Interea labor,& Tuus ingens sudor Olympo
Scribetur supero, dum nil defessus agendo,
Par *homines*, *librosque* legis; nec Membra labore
Fessa geris; qualis velox vertigine mundus
Volvitur assiduè, refluoque retunditur æstu
Oceanus; vel Solis equi rutilantia cursu
Sydera circumagunt, & anhelis naribus ardent;
Sic Tua perpetuis virtus exercita curis
Et labor, & Patriæ vigilatrix cura quieti
Assurget vivax, nulloq; abolebitur ævo.
Macte ergo tu mitis Homo! bonitatis abundãs
Macte!

Macte! nec amplexu repetito desine quæso
Lombardum redamasse Tuum. Concorditer ambo
State ministerio Fratres; ut *Fœdera* Pacis
Unus ad extremum conservet *Spiritus* ævum.
Interea unanimes, nostro indulgete Labori,
Et vati facilem votivo, extendite vultum,
Et parvũ hoc magni monumentũ, & pignus amoris
Accipitote pares. Utinam memorabilis Anglis
**Cowlæus* vates laudes in carmine vestras
Necteret, Angliaci dignas annalibus orbis;
Aut *Carolorum* alter clarissimus aulicus ille
Et Comes *Amborum*, par **Killigrenius*, ingens
Ingenio, Genioque suo, Qui Drammatis omnes
Explevit partes, *Senecam*, *Plautumque* vetustum
Transtulit Angliaco, renovata fronte, Theatro.
O utinam vir tantus, opem qui semper Egenis
Distenditq; manum, vestra in Præconia linguam
Exerceret amans, utinam & **Denhamus* honorus;
Signifer eximius vatum; aut **Wallerus* Apelles;
Aut Eques **Howardus*, Musisve **Drydenus* amænis
Cum

Cum * *Stapyltono*, ingenio quoq; ſtemmate claro,
Cantaſſent meliore chely; & vernacula linguæ
Carmina, Nativis narraſſent noſtra Britannis.
Ut vos vel digito, aut monſtraret pollice quiſque,
Deque Colonorum tanto grege, nemo maneret
Qui non *Durelli*; non *Lombardique* ſtupendi
Nomina ſubmiſsè coleret; celebranda per Orbem
Nomina; & Angliaco præſentia *Numina* Mundo.

FINIS.
